

P. Raymundus Sarabia (1875-1958)

(Prov. Hispan.)

Quaelibet comparatio fit odiosa; a fortiori, si ipsa respicit viros proceros in Annalibus nostris missionariis magis conclamatos. Attamen, retro acta indagine historica, cum effingimus ab Instituto condito « galleriam » seu cryptoporticum ornatum clarioribus « continuatae Redemptionis » praeconibus, iisdem procul dubio adnectendus esset P. Raymundus Sarabia, cuius res gestas sera commemoratione perstringimus (1).

Natus est die 19 decembris an. 1875 in oppido asturico Pola de Lena, septimus inter novem familiae virgulta, quorum quinque Dei servitio se manciparunt. Elogium patris sui, exercitio medicinae addicti, his verbis contexuit parochus loci: « Ne unus quidem aegrotus e vita discessit quin Ecclesiae sacramentis muniretur. Tanta cura medicus ferebatur, ut de ultimo discriminé periclitantes praemoneret ».

Non sine specialissima aequa ac curiosa Dei Providentia Raymundus noster, duodecim annos natus, accitus fuit in Iuvenatum Spinensem, unde absolutis fructuose studiis gymnasialibus petiit Navam Regis annum probationis impleturus, ducibus successive PP. Chavatte et Colloud. Huius postremi ad Superiorum Maiorem relatio sublineavit intuitu vere perspicaci tum Novitii qualitates et in tirocinio certamina, tum fundatam quam ille praebebat spem de futuro apostolatu missionario (2). Votis religiosis die 8 septembris an. 1893 emissis, se transtulit novellus professus in Asturicam Augustam, ubi curriculum studiorum cum laude emensus ascendit die 27 maii an. 1899 ad culmen dignitatis sacerdotalis.

Tunc vero, praemissa unius anni mora tanquam Lector in Iuvenatu ac peracto an. 1902 secundo Novitiatu, ingressus est missionarii plenam viam, quam

(1) Cf. ROBERTO GARCÍA, *Necrologia del R.P. Ramón Sarabia*, Madrid, 1959, 32 p.

(2) « 1. *Vale tudo*: Bonne. — 2. *Qualitates*: Nature ardente et passions très fortes. Homme d'ordre. Intelligence plus qu'ordinaire et sérieuse; mémoire et imagination faciles et vives. — Comme défaut, il sait qu'il a du talent; et sa prononciation est un peu défectueuse; des efforts sérieux faits au Juvénat indiquent qu'il se modifiera sur ce point. — 3. *In Novitiatu* ... s'est montré ouvert et docile avec ses Supérieurs, priant et généreux dans les moments difficiles, observateur de la Règle et s'efforçant de se vaincre et dominer sa mauvaise nature. — 4. Dans l'avenir il me semble qu'il a des qualités pour être un bon missionnaire; le défaut que j'ai indiqué plus haut le maintiendra dans l'humilité, en l'obligeant à parler doucement. De plus, d'après son passé, il me semble qu'il sera homme de Règle... F. Colloud. » (*Archiv. Gener. Hispanica, Relationes de Novitiis*, II, 1881-1894).

56 posthac annos verbo et calamo indefesse magnificavit. Parum refert recensere quibus successive destinatus fuerit Provinciae domibus, iis exceptis quas ad triennium vel ultra gubernavit: Spinum, Barcinonem, Granatam; vel quibus ineundis aut firmandis opem suam valde pretiosam contulit, v. gr. Valentiam. Postremos fere viginti quinque annos addictus vixit collegio Matritensi ad B.M.V. de Perpetuo Succursu, ubi terrenae peregrinationis exitum plus quam octogenarius tandem adeptus est.



Ubicumque tamen domicilium canonicum ex obedientia retineret, campus effectivus activitatis suae apostolicae patebat per universas regni provincias, prae-
sertim, ut par est, postquam ex ministerii sui fructibus fama nostri missionarii peragravit urbes atque oppida intra nationis confines. Quasi tessera namque in illius operositate alfonsiana distinguitur animi promptitudo, qua fere indifferenter pagos rusticos aut magnas urbes evangelizavit; nec missionibus dumtaxat, sed praedicationibus etiam novendialibus, quinariis, triduanis aut exercitiis spiritualibus. Cellam igitur claustralem ininterruptim mutabat cum viae ferreae curribus, et quidem tertiae classis. Unus Deus scit quot centena dierum ac noctium transegerit ille in eiusmodi itineribus, viatica pera locuples, lectioni aut precibus deditus, somnum necessarium haud negligendo.

Quem laborum rhythmum intensem ut ultra semisaeculum generose perficeret, qualitatibus naturae et gratiae specialibus praeditus incessit, paeprimis optima corporis, mentis et cordis valetudine; item ferrea agendi, precandi et evangelizandi voluntate, qua incommoda quaeque pro nihilo reputabat, temporis vero particulas avide ad legendum vel scribendum colligebat. Iunioris aetatis balbutiem seu minus expeditam pronuntiationem ita deinceps superavit, ut ex eadem in melius commutata eduxisse illum crederes suam ex suggestu dicendi formam: solemnem aequie atque energicam, cunctis syllabis plenorem, quadam vocis amplificatione rotundam, cuius virtute etiam sub diu vel in amplioribus ecclesiis cathedralibus illius conciones ab audientibus magis dissitis percipiebantur.



Praeter initialem balbutiem aliud quoque vitium sanare debuit aut saltem sic eidem mederi, ut nec Superiorum virgam nec quorundam confratrum bilem suspicacem excitaret. Qua enim P. Sarabia pollebat imaginationis flamma, eloquii facundia atque scribendi spontanea venustate sibi plasmaverat stylum reapse personalem, quem censores nonnulli necnon interdum Superiores declararunt parum alfonsianum, imo et pedisequum iesuitae Van Tricht (1), olim inter coaevos oratores memorabilis. Quae sane censura, partiali fundamento minime

(1) « En venant ici à Madrid, il y a trois ans, on reprochait beaucoup au P. Sarabia de n'avoir pas le genre apostolique, et c'était la pure vérité. Le bon Père a beaucoup de facilité pour la littérature et prit pour modèle Van Tricht. On l'a obligé à me donner

destituta, in id potius vergebant, ne P. Sarabia videretur maxime imitabilis ac maxime imitandus novellis missionariis, quibus omnino deerant et illius pectus disertum et cor Christo vinctum.

Enimvero si cor est quod disertos facit, ab eodem scaturiebant apud P. Sarabia fluenta popularis eloquentiae necnon manifestationes haud communis zeli missionarii, quae illius memoriam ubique perennem reddiderunt. Dynamismum apostoli cum spiritu vitae interioris mire coniungebat. Suggestum occupabat atque ita dominabatur, ut in eo natus diceretur. Ad vivacem oratoris actionem omnia confluebant: vocis inflexiones, vultus lineamenta, oculorum fulgurationes, manus vere adfantes; cuncta nihilominus, sive in corporis motu sive in gestus adiumento, undequaque digna, quasi innata, absque fuko et fallaciis, intime connexa cum orationis argumento atque stylo. Eius namque conciones, exceptis quodammodo orationibus stricte missionariis quas a maiorum traditione exceptit, didicit atque diffudit, prae se tulerunt sigillum inconfusum ac valde characteristicum: ratus enim locum sacrum destinari audientium instructioni, nequaquam somno, hunc depellere, illam autem praefovere ac comitari sagedit apta dicendi ratione, eloquio scilicet hodierno, copia figurarum ornato, historiae exemplis enutrito, clarorum virorum dictis ac factis illuminato. Quod si aliquoties in dissertationis nexu exquireret quispiam strictiorem logicae nervum, hunc supplere ac efficacius tendere P. Sarabia credebat simpliciore elocutionis suae formula, atque interiore apostoli igne foras erumpente.

Spiritus Sancti ardore suaviter ac fortiter adustus egit peregrinationes suas apostolicas strenuus Christi miles, cuius tamen nolumus canonizationem instituere. Ipsem in suis *Memoriis* humiliter fatetur se non parvis subiactuisse miseriis; quibus haud obstantibus et misericordia Dei iudicio submissis, iustas atque obiectivas laudes tanto missionario persolvimus. Crucifixi Redemptoris effigies, quam ipse pectori admotam gerebat coram populo, longissime a transeunti decoramine aberat; sed contra in se referebat ac densabat missionarii numen atque scutum, mentis aciem ac cordis pondus, requiem et solamen. Profecto P. Sarabia semper et usque ad senectam grates Deo rependit, quippe vocatus in eam sanctissimam sortem, quam vel ipsi caelestes spiritus missionariis quodammodo invident (*Const.*, n. 42).

tous ses sermons; ceux-ci furent revisés par les PP. Rodríguez et Gómez; quelques uns furent réprouvés par le fond et la forme; d'autres en partie; d'autres approuvés. Le Père doit donc refaire ses sermons. Il y a eu malgré cela encore des plaintes contre ses sermons. Je l'ai obligé alors à soumettre tous les sermons à la censure, et cette loi existe encore malgré son âge de 32 ans ... Je l'ai envoyé à Grenade pour le lancer dans les missions difficiles de Guadix. Ce sont des missions qui lui conviennent, et des missions dans des pays froids. Le P. González le lance trop dans les travaux de la ville; il y a peu de temps que j'ai dû reprocher cela au P. González » (*Archiv. Gener., Hispanica*, V, 12, *Epistola Sup. Prov. Othmari Allet, die 14 nov. an. 1907*). Multos post annos renata est quaestio ac non leves tribulationes eximio Christi athleta peperit.

▼

Sors porro fortunatissima obtigerat illi intra familiam alfonsianam, cuius finem evangelizationis specificum complere, sartum tectum servare ac successoribus tradere conatus est; tunc etiam, cum innovationes quasdam praetentans ac confovens existimabat se traditionibus genuinis alfonsianis, nedum contrairet, arctius adhaerere. Cultus etenim, quem personae, scriptis atque exemplis S. Alfonosi overat P. Sarabia, huius signaculum nobilissimum exstitit semper, de quo et palam gloriatus est. Sancti equidem Doctoris magisterium indivisum revereri ac tutari nitus est tam pro suo spirituali profectu quam pro animarum salute et sanctificatione. Hinc illius profundae de veritatibus aeternis convictiones, de mediatione Deiparae perpetuo succurrentis eloquia, de sacrificio Missae ac de intimitate Eucharistica proposita atque experientiae, de salvifico orationis tramite notissimae sententiae.

Atvero ex S. Fundatore missionario desuxit filius amantissimus propensionem erga Christi oves, ob peccatum a salutis calle devias. Ipse met asserit in suis *Memorii*: « Sacerdos, praesertim missionarius, qui in anima sua, immo et in corde sensibili non percipit gaudium et consolationem ex reditu quem ad Dei brachia peragunt tot peccatores ex ovili extorres, nec dici potest bonus sacerdos nec halitus missionario actus ». Hunc animarum ad gratiam redditum quo securius et profundius suscitaret, nulli parcebat molestiae aut defatigationi, omnibus omnia factus in missionis decursu; ideoque a summo mane usque ad seras tenebras irrumpebat in mediam aciem spiritualem: hac cantus vel allocutiones, illuc puerorum catechesis et instructiones, hinc processiones et completivae caeremoniae, illinc maxime serales conciones. Cuncta certe traditionibus consona, at fornace personali recusa ac redolentia vim quamdam magneticam seu « sympathiam », quae populi corda per missionarium Christo restituebat. Gentes namque, ac prae aliis puerorum turmae et viri etiam rudiores, secreto instinctu divinabant zelantem caritatem missionarii, quem si interdum semel, ter, quinques et amplius ex suggestu quotidie loquentem mirabantur, obvium pariter habebant in viis et plateis cunctos affabiliter salutantem nec aliquoties dicta lepida abhorrentem.

Illi vicissim fiebant obvii coram sacro confessionis tribunali. Si quid fortasse P. Sarabia naturae indulxit in praedicando, id eidem naturae negavit in confessionibus audiendis. Eius fidelitas huic ministerio roborat et sigillat rectam illius concionantis intentionem. « In missionibus, subdunt *Memoriae*, primus adeo confessionale nec mea me mordet conscientia quod fuerim in hoc ministerio piger ». Heroicum illum diceremus, qui in quadam missione catenam confessionum continuo portavit ab hora quarta postmeridiana usque ad subsequentem horam cœcimam matutinam. Unum connotamus: quoniam P. Sarabia semper firma valitudine et optimo somno fruitus est, eius activitas externa, etsi intensissima, nihil abnorme præ se ferebat et suum quemque locum serenum nervis retinebat. Hinc Deo laudes in *Memoriis* persolvit, quod sibi contulerit hanc gratiam, vide-

licet: « Septuaginta annos explevi atque adserere possum quod fere nunquam aut nunquam amisi in confessionali patientiam et tranquillitatem ».



Si quis demum velit in summam redigere missiones a P. Sarabia peractas, computabit ex suis *Memoriis* 350 in eisdem regestas, quibus cum addideris alias saltem 50 ab illo omissas, complebis numerum 400 missionum; numerus sane ponderandus, quatenus: 1º factae sunt non paucae in magnis nationis urbibus; 2º praepeditus fuit a diuturnis excursibus dum rectorem domuum egit; 3º simul cum missionaria omnigenam aliam praedicationem cumulavit, ut supra diximus. In universum P. Sarabia, iuxta computationem a quodam confratre institutam, praedicavit in toto vitae sua curriculo 50.000 conciones. Hanc computationem ipsem et concionator declaravit exageratam; ast opinione communi non nimis a veritate aberrantem.

Inde facile colligitur qua tenacitate calatum vel scribendi machinam adhibuerit P. Sarabia, quem nos ipsi Matriti vidimus exarantem allocutionem quam prope septuagenarius ex podio (*balcone*) publico pronuntiavit sub finem processionis B.M.V. de Perpetuo Succursu. Sacram etenim tenebat legem, alioqui a Cicerone sancitam, ut ex suggestu memoriter diceret; id est, ut quantum posset scriberet dicenda, quae ex solo scriptionis facto memoriae suae adhaerebant. Item hinc eruitur quam dolorosa illi iactura contigerit, cum iam sexagenarius ploravit ingenii sui thesauros manuscripts an. 1936 a communistis, domum invadentibus, igni traditos (1). Ille vero, nedum deponeret, animum viriliter erexit atque otio bellum reindicens non pepercit calamo nec prelo, donec ex novo in lucem edidit 25 opera, quae suis prioribus 15 adiuncta recensent 40 titulos in illius bibliographia, praeter alia 16 volumina suis *Memoriis* reservata et fere totidem alia cuidam biographiae privatae. Ex voluminibus editis memorare sufficiat: *Sermones para todos los domingos y fiestas del año* (10 tomi), *Triduos y Novenas* (5 tomi; sequentur alii); *A los niños: pláticas y ejemplos; Sacerdotes, niños y calequistas; El Credo; La gracia de Dios; Experiencias Misionales; Cómo se educan los hijos; Quién es Jesucristo; La España de hoy y de mañana*. Quanto plausu et quanam benevolentia excepta fuerint, praesertim a sacerdotibus, haec opera elucet ex ipsorum novis editionibus. Nec silentio praetermittimus collaborationem plus quam semisaecularem a P. Sarabia porrectam ephemeredi nostrae *El Perpetuo Socorro*, ubi ab eiusdem fundatione (1899) usque ad articulos posthumos nomen nostri missionarii singulis fere mensibus comparuit.



Ex hucusque dictis clare nitet P. Sarabia filium S. Alfonsi vere dignum existi-

(1) Complexus manuscriptorum numerabat 56 volumina, quorum 40 missionis concionibus, cetera exercitiis spiritualibus aliisque praedicationibus addicebantur. Meis ipse oculis vidi magnam capsam viatoriam, in qua pleraque volumina disposuerat ut secum ille asportaret in rem publicam Argentinam, quo missiones praedicaturus navigare debebat.

tisse. Iure affirmat illius biographus P. Roberto: « Summum eius meritum in eo stat, quod vixit vocationem suam missionariam omni temporis puncto cum maxima abnegatione, ardenti zelo atque spiritu supernaturali ». Quas animi virtutes aegre ante conspectum gentium prompsisset, nisi prius easdem intra claustra



P. Raymundus Sarabia

fideliter coluisse. Vir namque iste religiosus semper et ubique in communitatibus tanquam observantiae regularis exemplar excelluit. Qua missionis vel domus superior haud semper scopulum vitavit, quem superiores viribus valentes offendunt, cum ceteros debiliores tanquam pigros lacescant eorumque munera absorbent aut quasi annullant. Ad conditionem subditi redactus, mirum est quanta ipse cura ex locis missionis aut praedicationis dissitis certiore domus rectorem reddebat de suis laboribus ac necessitatibus et qua animi promptitudine, in conventum redux, sive superioris insinuationibus, sive ordinariis hebdomadarii muniiis obtemperabat. Huius facti sum testis: cubiculum suum meo Matriti adiacebat, cum ille ad confessiones hebdomadarius vocabatur summo mane ad ecclesiam; iam vero, ne unum quidem ictum machinae scribenti adiciebat, statim

ac se campanula àccitum sentiebat. « Possum ex conscientia palam proferre, ait in *Memoriis*, me nunquam graves conflictus superioribus genuisse, sed omni conamine procurasse et pacem cum illis fovere et adiumentum illis perferre ». Cuius voluntatis signum externum censebatur gestus ille, quo senex venerandus ad superiorem ubicumque accedens, birretum suum prius deponebat.

Ceteras virtutes omittimus, ut easdem circumscribamus ad caritatem fraternalm seu spiritum familiae in P. Sarabia valde praestantem. Insitum retinuit usque ad mortem quemdam animi candorem, a cognitione humanae miseriae haud disiunctum, at semper inclinem in meliorem personarum ac rerum faciem. Hinc generosa iniuriarum oblivio ac diffusiva cordis elargitio. Si quae postremis annis tremiscebant in labiis suis indignatio, haec vindice impulsu ferebatur contra petulantiam, oscitantiam et vagantiam detectrantium spiritum alfonsianum. His exceptis, eminuit semper in eo optimismus radicalis, quo afflante tot res gestas feliciter coronavit ac ipsarum participes confratres effecit. Illius conversandi ratio vivax, tempestiva, factis et dictis amoena, nunc gravis, tunc faceta, quamplurimum contulit semper ad animos in recreatione communi relaxandos. Si quando, imaginationis quatiens alas, in vaniloquentiam narratio abire videbatur, id audientes benevolo subrisu tribuebant inoffensae collocutoris ingenuitati.



Usque ad extremos vitae suaे dies, pro Christo legatione missionaria fungens, P. Sarabia strenue decertavit. Post se reliquit aurea festa iubilaria professionis et sacerdotii; quinquagesimum vero annum operositatis suaे missionariae celebravit peragens novam missionem in eodem pago rurali, quem quinquaginta pridem annis evangelizaverat. Octoginta annos natus scribit in *Memoriis*: « Etiam nunc praedico sexies vel septies in die, quin generatim nonnihil molestiae experiar ». Duas tamen graves operationes chirurgicas subierat. Mense demum iulio an. 1958, etsi iam morbo affectus, voluit oppidum natale Pola de Lena petere, novendiale B.M.V. de Monte Carmelo praedicaturus et nepotem medicum in urbe Legione consulturus. Nepos autem sententiam fatalem protulit: carcinoma in stomacho diffusum. Matritum statim a duobus Patribus reductus, voluntatem Dei de proxima morte fortiter amplexus est. Iesu crucifixo et Matri de Perpetuo Succursu se suaque omnia remittens, ultima vitae praelia superavit omnibus Ecclesiae sacramentis munitus ac effusa superiorum ac confratrum caritate roboratus, donec in osculo Domini quievit die 17 iulii, annos natus 82 et menses septem, « Bonum certamen certavi ... Sed gratia Dei mecum », proferre potuisset cum dilecto suo gentium Apostolo. « Primum inter nostros missionarios », illum extulerat in quodam Congressu alius missionarius insignis, filius S. Ignatii. « Ob mortem P. Sarabia induit vestem lugubrem Hispania missionaria », declaravit in foliis publicis notus sacerdos saecularis. Dilecti igitur confratris memoria apud nos semper maneat in benedictione atque aemulatione!